


162

RATIO FIDEI REDDITA,
SIVE
P O S I T I O N E S
EX
UNIVERSA THEOLOGIA,
QUAS
DEO OPTIMO MAXIMO AUSPICE
PRO
SUPREMA THEOLOGIAE LAUREA
OBTINENDA
DEFENDENDAS SUSCEPIT
MATTHAEUS KÜBEL,
HERBSTEINENSIS,
Ss. THEOLOGIAE BACCALAUREUS BIBLICUS ET FORMATUS,
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS PALATINI
ALUMNUS PRESBYTER,
HEIDELBERGAE IN AULA NOVI WILHELMIANI
DIE 14 NOVEMBRIS MDCCLXXVI.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSUETIS.



HEIDELBERGAE,
Typis JOANNIS BAPTISTAE WIESEN, Universitatis Typographi.



*Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea,
quae in vobis est, Spe. 1. Petri. 3. v. 15.*





PROOEMIUM.

I. **U**bi Metaphysicus finem facit, ibi exordium capit Theologus. Ultima apud Metaphysicos propositio est, existere Deum, quae utique Theologo prima esse debet. Theologus autem non considerat Deum & res divinas ut lumine rationis cognoscuntur, sed ut a Deo ipso revelata sunt; hinc primus labor Theologi in eo versari debet, ut existentiam revelationis evincat, quod per sequentes propositiones obtineri potest. Deus potest hominibus a se creatis sensa sua manifestare ita, ut certo sciant ea non ab alio, nisi a Deo esse: nam 1. id Deum non dedecet. 2. Deo non possunt deesse signa, quibus sensa sua manifestet. 3. Non possunt deesse adminicula, quibus homines certos reddat se hoc vel illud revelasse. 4. Talia adminicula possunt esse certi effectus, qui ab alio atque a Deo poni non possunt; si nempe palam in testimonium alicujus revelationis a se factae ponantur. 5. Tales effectus vel superant certo vires operandi creatas, & sunt miracula; vel superant certo vires cognoscendi creatas, & sunt vaticinia. (a) 6. Aequè potest oriri obligatio credendi Deo, sive per se mihi, sive per alium locutus sit, aut loquatur, dummodo non relinquatur locus prudenter dubitandi Deum haec vel illa locutum esse. 7. Non igitur est necesse, ut Deus singulis hominibus loquatur, sed sufficit, si loquatur quibusdam, quos tamen iis donis

A

exor-

*Possibilitas
revelatio-
nis.*

(a) Desipiunt, qui leges naturae Physicas ita absolutas fingunt, ut ipse auctor illarum legum, iis a se libere latis exceptionem ponere non potuerit.



exornet, necesse est, ut ceteri prudenter dubitare non possint, eos homines nonnisi a Deo inspiratos loqui.

*Facta est
olim revela-
tio.*

II. Deum locutum esse hominum generi, & quo colit velit modo manifestasse est constans ac universalis persuasio omnium gentium ac nationum. 2. Speciatim id asserunt Christiani, & quoad tempus antiquius etiam Judaei. 3. Christiani nomen & originem traxere a Christo quodam, qui ante 18. ferme secula vixit in Judaea. 4. Fuit ille consensus Christianorum, (b) Judaeorum & Ethnicorum Scriptorum vir egregius, occisus a Romanis impulsu Judaeorum ideo, quod se Filium Dei naturalem diceret. 5. Eorundem Scriptorum testimonio non tantum indigna filio Dei non gessit; (c) sed & in assertorum suorum veritatem innumera miracula patravit; multa praedixit, quae nemo nisi divinorum conscius arcanorum scire potuit. 6. Ea inter miracula utique primum locum obtinet, quod multis vulneribus confossus & occisus a mortuis propria virtute resurrexerit. 7. Doctrinam a se traditam & praeprimis dogma de divinitate sua iussit discipulos suos per orbem universum promulgare. 8. Illi ipsi discipuli rem strenue urgentes idem dogma de divinitate Christi cum reliqua doctrina & multis & splendidis signis confirmando majori orbis parti persuaserunt. 9. In illa persuasione sive eos consideres, qui persuasere, sive eos, quibus persuasere, sive ea, quae persuasere, sive ipsam constantiam in persuasione, nihil humani, omnia autem divina deprehendes. 10. Eadem doctrina de divinitate Christi palmare semper dogma fuit primorum Christianorum. 11. Cum illud ipsum dogma per Arianos & sequacium conatus favore & armis potentissimorum Imperatorum suffultos nonnihil obnubilaretur,

(b) Christianorum Scriptorum praesertim primorum testimonia qui suspecta habent, notent sibi inter alia 1. testem oculatum non posse esse mendacem, si nullum inde commodum, plurimum vero detrimenti percipere possit. 2. Si scribat in conspectu testium oculatorum de re publice gesta, & integris nationibus nota. 3. Si scribat ea, quae ab adversariis itidem coaevis vel proxime coaevis conceduntur.

c. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Joannis 1.

retur, denuo multis miraculis confirmatum (d) splendidius illuxit. 12. Stat igitur hoc dilemma vel Jesus Christus fuit verus Deus, vel fuit homo impiissimus & sacrilegus, eo quod se Deum fecerit, cum non esset: secundum fere omnium adversariorum confessio falsum esse concedit, vita, doctrina & gesta Jesu Christi & discipulorum ejus falsum esse demonstrant, admittendum ergo est primum. 13. Quidquid igitur Jesus Christus & verbo & exemplo docuit, est doctrina divina. 14. Religio Christi etiamnum perduret necesse est; cum is eandem ad finem usque mundi duraturam praedixerit. 15. Religio itaque, si qua est, quae ostendere possit se eam doctrinam tenere, quam Christus praedicavit, divina est. 16. Religio etiam Judaeorum divina fuit, cum Christus eam divinam esse testatus sit. 17. Cum itaque religio Judaeorum contineretur in certis libris, etiam libri illi divini sunt, in quibus illa continebatur, & quos ipsi divinos credebant. *

Existit etiamnum.

III. Cum ex praecedentibus rite intellectis, ne dicam demonstratis, certum sit religionem a Jesu Christo traditam fuisse divinam, cum praeterea ex ante dictis legitime conficiatur, religionem a Christo fundatam etiamnum perdurare: non inutile erit nunc in ea subsidia oculos intendere, quibus Jesus Christus suam religionem conservare & propagare voluit. 1. Primum locum inter adjumenta occupat illud,

Subsidia religionis conservantur.

A 2

quod

(d) Vel unicum illud Typasi in Africa factum a sex coaevis, etiam quatuor oculatis testibus, in quibus ipse Justinianus Cod. Lib. 1. Tit. 27. consignatum sufficit ad obstruenda ora Socinianorum & Deistarum.


* Haec quidem sufficiunt contra incredulos omnis generis, interim cum Judaei & Sociniani libros veteres tanquam divinos admittant, eadem divinitas Christi contra eosdem ex illis libris demonstrari potest & demonstratur. 1. ex Genesis 49. v. 8. Danielis 9. v. 24. &c. Aggaei 2. Malach. 3. Adventus Messiae Judaeis promissi ostenditur partim non potuisse fieri post Jesum Christum, partim etiam debuisse fieri tempore Jesu Christi. 2. Psalm. 2. Isaias 9. v. 6. 7. Isaias 36. v. 4. & seqq. Messias Judaeis promissus verus Deus asseritur. 3. Res per Messiam gerendae & cetera vitae adjuncta per Prophetas praedicta nulli ex antiquitate conveniunt, in solo autem Jesu Christo ad amissim impleta sunt. 4. Jesus Christus igitur & verus Messias fuit, & verus Deus.



quod certos homines selegerit, quos & Apostolos vocavit, quibus eandem potestatem quoad substantiam sui loco exercendam dedit, qua ipse fundando religionem usus est. 2. Hos iussit denuo eam potestatem aliis post se & a se constituendis relinquere. 3. Illa potestas includebat praecipue haec quatuor: praedicare omnibus gentibus evangelium, leges & statuta ad mores in coetu a se colligendo ordinandos statuere, dubia circa doctrinam exortura decidere, & rebelles a coetu suo excludere. 4. Haec officia, ut explere possent, dedit in primis potestatem & privilegium doctrinam praedicandam miraculis stabiliendi, promisit praeterea auxilium suum, ne unquam contra fidem a Magistro traditam errores admitterent. 5. Eadem privilegia pro rerum adjunctis licet limitata & adstricta ad certas leges etiam Apostolorum successoribus promisit. (e) 6. Tandem ut unitas religioni adeo necessaria incolumis persisteret, unum ex Apostolis selegit nempe S. Petrum, cui primatum super omnes concessit. 7. Is primatus fuit non tantum honoris, sed etiam Jurisdictionis. 8. Ita instructi & hoc vinculo colligati Apostoli doctrinam Christi orbi terrarum annuntiarunt, & suis successoribus custodiendam

tra-

(e) Hanc limitationem praecipue discimus ex gestis Ecclesiae primae & ex ipsa rei natura. 1. Ecclesia prima nunquam credidit singulis Episcopis seorsim competere privilegium non errandi in fide, quod tamen competebat Apostolis. 2. Credidit tamen semper propter auxilium a Christo promissum Episcopos omnes sive congregati sive dispersi cum supremo Pastore conspirantes in decidendis controversiis fidei, morum & factorum cum fide connexorum errare non posse. 3. Ex iisdem sensis primae Ecclesiae utique ex Scriptura & ipsa rei natura haustis discimus, supremo Pastori competere jus convocandi coetum Episcoporum, eidem praesidendi & decreta ibi facta confirmandi. Siquid contra haec jura, vel praeterito aut dissentiente supremo Pastore statutum decisumve est, nunquam legitime gestum credebatur. 4. Bene etiam non errandi privilegium a multis Catholicis tributum est & tribuitur adhuc soli Pontifici, si ut supremus Pastor Ecclesiam sibi concreditam doceat. 5. De dono miraculorum ipsa natura rei nos edocet credente jam orbe illud non tam frequenter necessarium esse. 6. Interim etiamnum necessaria sunt quandoque miracula, neque etiam unquam defutura esse in vera sua Ecclesia Christus praedixit.



tradiderunt. 9. Tradiderunt autem partim ore partim calamo. 10. Si res aequis oculis spectetur, pronum est observare altiora praecipue myſteria & generalia morum praecepta Spiritu S. inspirante ſcriptis mandata eſſe (f), quae autem inde deduci poſſent, & practica fere praefertim in re ſacramentaria ipſo quotidiano uſu in poſteros propaganda ſolo ore tradita eſſe & relicta. 11. Doctrina tradita conſervari potuit per uſum Eccleſiarum praefertim Apoſtolicarum, decreta Conciliorum & ſummorum Pontificum, denique per ſcripta Patrum, qui de fide ſuorum temporum per ſingula ſecula teſtati ſunt. 12. Hinc aequae admittendum eſt tanquam verbum Dei, quod ipſo uſu continuo ab Apoſtoliſ ad nos uſque pervenit, ac id, quod ſcriptum eſt. 13. Doctrinam igitur Chriſti non integram profitentur, qui traditam rejiciunt.

IV. Exiſtit itaque religio Chriſti etiamnum & exiſtit nixa fundamentis Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu, qui portas inferorum illi praevalere nec ad tempus patitur; nunc igitur videndum, in quonam coetu Chriſtianorum exiſtat. Exiſtit religio Chriſti in eo coetu qui 1. ſemper ab Apoſtolorum temporibus ad nos uſque conſpicuus fuit. 2. Qui natales ſuos per continuam ſucceſſionem paſtorum & praefulum ad Apoſtolos ſerie non interrupta deducere poteſt. 3. Qui unitatem doctrinae tum inter anteceſſores & ſucceſſores ſervatam oſtendit, tum inter ſimul exiſtentes & credentes ſervat, & adjumentum eam ſervandi habet nempe centrum unitatis. (g) 4. Qui inter membra ſua per omnia ſecula non vulgari tantum, ſed ea ſanctitate conſpicuos numeravit, ut ſanctitas miraculis etiam illuſtrata in omnium oculos incurreret. 5. Qui praeceptum praedicandi evangelium per

*Exiſtit in
Eccleſia Ca-
tholica.*

A 3

uni-

(f) Libros, quos Eccleſia Catholica optimo jure pro authenticis habet, recensentur in canone ſacrorum librorum a Tridentino. 2. Idem etiam Concilium optimo conſilio ex verſionibus latinis Vulgatam in fide & moribus authenticam declaravit.

(g) Hoc unitatis centrum Catholicis eſt R. Pontifex, qui ut Succellor S. Petri eodem gaudet primatu honoris & jurisdictionis.



universum orbem semper implevit, & adhucdum implet, & quidem iis auxiliis, quae Christus praescripsit. 6. In quo reliquum est privilegium doctrinam praedicatam miraculis confirmandi & ardor vitam pro fide profundendi. 7. A quo recedentes semper pro heterodoxis ab optimo quoque omnium seculorum reputati sunt & damnati. 8. Hae omnes quin & plures praerogativae conveniunt soli Romano-Catholicae Ecclesiae.

C A P U T I.
DOGMATA THEORETICA RELIGIONIS
REVELATAE.


De Deo Uno. I. **S**tabilita veritate religionis Catholicae nunc singulatim dogmata hujus religionis consideranda sunt, & contra omnis generis adversarios propugnanda: sunt autem ex iis quaedam theoretica & quaedam practica, de theoreticis primum, tum de practicis. Deus existit & est unus. (h) 2. Est ens in omni genere perfectionis infinitum, est nempe spiritus, immutabilis, immensus, aeternus, omnipotens (i) &c. 3. Intellectu perfectissimo cognoscit & comprehendit se & omnia extra se, quaecunque & quocunque modo a perfectissimo ente cognosci possunt. 4. Datur etiam in Deo scientia, quae ratione objecti dividitur in necessariam, contingentem, simplicis intelligentiae & visionis. (k)

De Deo Tri-
no. II. Quemadmodum religio Christiana Deum unum certissime credit; ita tres in divinis esse, Patrem nempe, Fi-

(h) Absurda polytheismi jam in initio christianae religionis detecta sunt a Justino, Tertulliano, Lactantio & aliis passim.

(i) Deus potest plura & majora iis, quae fecit; hic igitur mundus non est perfectissimus.

(k) De Scientia media certant Theologi & adhuc sub judice lis est; ego cum sola dogmata defendere statuerim, cuivis parti suum jus relinquo, quodsi tamen sicut in hac, sic & in aliis controversiis theoreticis illi parti favero, quae mihi aptior videtur ad explicanda dogmata, id me sine omni praesudicio adversae partis facturum esse protestor: in practicis tamen controversiis paulo aliter me geram.



Filium & Spiritum S. nunquam non professa est & proficitur. 2. Filius existit per generationem a Patre: Spiritus S. procedit a Patre & Filio per actum voluntatis, qui dicitur spiratio. (l) 3. Pater, Filius, & Spiritus S. in divinis a se distinguuntur. 4. Sunt res subsistentes sive personae. 5. Quaelibet ex his personis est verus Deus. 6. Igitur cum unus tantum Deus sit, hae tres Personae consubstantiales sint, oportet.

III. Deus creavit coelum & terram, & omnia quae in eis sunt (m) & quidem ad gloriam suam. 2. Hinc non reliquit res a se creatas sine sua cura, sed omnia tanquam providus pater gubernat, & ad scopum praefixum dirigit. (n) 3. Inter res creatas primas obtinent angeli, qui sunt spiritus omnis corporis expertes, & homines, qui ex corpore & spiritu immortalis compositi sunt. 4. Ut utrosque utpote liberos productos in officio contineret, proposuit ipsis praemium & poenam, & utrumque aeternum. 5. Praemium illud erat communio felicitatis, qua Deus ab aeterno felix erat, & ideo omnem naturae creatae exigentiam excedebat. (o) 6. Ad id praemium obtinendum eos habiles fecit gratia, quae dicitur sanctificans. 7. Ad hanc gratiam conservandam addidit necessarium auxilium, quo eam retinere possent, si vellent, perdere tamen etiam cum eodem poterant. 8. Magna pars angelorum rebellis effecta gratiam eam perdidit, & in poenam aeternam detruſa est. 9. Major pars angelorum in officio permansit & ideo praemium illud aeternum obtinuit. 10. Felices illi spiritus nunc mittuntur in ministerium propter eos, qui haere-


De DEO
Creatore.

(l) Jure optimo addita est a Latinis symbolo Constantinopolitano particula *Filioque*.

(m) Igitur mundus non est ab aeterno.

(n) Fatum, casus, fortuna &c. soni sunt sine re significata.

(o) Quemadmodum nempe felicitas Dei consistit in sui contemplatione & amore, sic etiam hae creaturae rationales eandem Dei contemplationem intuitivam praefixam habent, & certis conditionibus consequuntur. 2. Qua felicitate ut frui possint, adjuvabitur natura auxilio a Deo, quod a Theologis dicitur lumen gloriae.



haereditatem capiunt salutis, ita ut singulis hominibus singuli tutores ex iis destinentur. 11. Homo etiam inobediens factus gratiam illam amisit, & non sibi tantum, sed etiam posteris suis, ita ut haec labe non tantum ab ipso, sed etiam a posteris omnibus contracta sit. (p) 12. Poenae scelus illud infecitae fuere mors naturalis, & qui illam antecedit omnis exercitus morborum & malorum naturalium; effrenis porro inclinatio in voluptates sensuum, ignorantia magna rerum tum ad mores tum ad vitam ordinandam necessariorum, & demum infirmitas singularis superandi molestias in via virtutis occurrentes & resistendi blanditiis vitiorum. 13. Relictum tamen est liberum arbitrium sed male saucium. 14. Ad bona enim moralia parum erat, ad bona supernaturalia nihil. 15. Spectata potentia ejus physica peccata vitare poterat omnia; si vero modo humano res spectetur, non poterat totam legem naturalem implere, nec etiam singulas leges in casu magnae difficultatis. (q)


De Deo Redemptore.

IV. Conditio hominis paulo ante descripta utique miserrima erat; sed misertus est Deus & dedit illis denuo potestatem filios Dei fieri, quod quomodo factum sit, nunc videndum est. Potuisset Deus homini gratis condonare offensam & sic illum in gratiam admittere. 2. Noluit tamen aliter nisi satisfactio condigna offerretur, & sic necessaria erat persona satisfaciens aequalis Deo. 3. Satisfactionem praestandam in se suscepit secunda in Trinitate Persona, Verbum nempe, quod caro factum est. 4. Verbum hoc assumpsit veram humanitatem ex Maria Virgine illaesa matris integritate. (r) 5. Unio inter utramque naturam facta fuit in personalitate divina; ita tamen, ut maneret discreta utraque natura & utriusque naturae voluntas & ope-

(p) Excipiendus tamen est ille, qui peccatum non novit, & propter honorem Domini etiam ejus sanctissima Mater.

(q) Sic spectavit Augustinus liberum arbitrium in disputatione contra Pelagianos, qui illud utique omni gratia interna, saltem voluntatis, vacuum volebant; sed revera nunquam homo sine omni gratia fuit.

(r) Injurii sunt in divinam Matrem, qui integritatem per miraculum a Christo servatam postea per matrimonii usum laesam existimant.



operatio. 6. Possunt ea, quae sunt propria humanitati, affirmari de iis, quae sunt propria divinitati, & vicissim in concreto; non tamen cum Ubiquistis in abstracto. 7. Christus etiam homo est verus ac naturalis Dei Filius, & ideo absolute adorandus. 8. Factus est obediens (s) usque ad mortem, mortem autem crucis.


V. Christus per mortem suam proprie satisfecit tum pro peccato ab Adamo descendente, tum etiam pro peccatis unicuique propriis. 2. Placavit Deum & simul meruit, ut gratia per Adamum perdita denuo donaretur a Deo humano generi. 3. Gratia illa est duplex, sanctificans & actualis. 4. Sanctificans mundat hominem interius a peccatis, & aequae interne sanctum ac habilem reddit ad aeternam felicitatem, ac prima gratia Adamum. 5. Gratia actualis praeveniens pellit ignorantiam per illustrationes in- & externas; infirmitatem vero voluntatis sublevat per pias affectiones eidem immixtas. 6. Addita etiam est gratia adjuvans, quae hominem in ipso bono opere laborantem sustentat. 7. Atque sic reparatum est liberum hominis arbitrium, ut possit denuo vel consentiendo gratiae & bene agendo vitam aeternam mereri, vel dissentiendo & male agendo aeterna supplicia incurrere. (t) 8. Non tamen restitutum est illud aequilibrium voluntatis, quod Adamum quasi medium inter bonum & malum collocabat, ut eadem facilitate, quidquid vellet, eligeret. 9. Relicta est nempe inclinatio prona (u) ad malum, a bono autem aversio difficultatem pariens. 10. Relicta sunt etiam mala naturae, quin & ipsa mors naturalis

De effectibus mortis Christi.

(s) In concilianda libertate Christi cum mandato subeundi mortem, utor ea sententia, quae mandatum medium consilium inter & praeceptum strictum admittit.

(t) Non tamen per quemlibet actum malum homo gratia Dei excidit, & aeterna supplicia meretur, sed dantur etiam peccata ita dicta venialia, quae ex natura sua temporanae quidem, non tamen aeternae poenae obnoxia sunt.

(u) Haec inclinatio ad malum dicitur concupiscentia, cujus actibus si non consentitur, nullo modo peccatur.



turalis ad tempus, (x) tum ut homo sentiret, quam malum & amarum esset a Deo recessisse, tum ut occasio esset per tribulationes introeundi in regnum caelorum, tum praecipue, ut virtus gratiae Christi ostenderetur, quae habita & usurpata aculeos dolorum & mortis hebetat & infringit. 11. Haec est redemptio, ex qua suppeditantur omnibus auxilia sufficientia ad salutem operandam. (y) 12. Ideo etiam nunc post lapsum Adae Deus vult omnes homines salvos fieri, & neminem a regno caelorum excludit, nec excludere decernit, nisi propter & post praescita demerita.

De sacramentis generatim.

VI. Consideratum redemptionis beneficium utique maximum, & de se sufficientissimum ex omnium Christianorum sententia nihil operatur, nisi applicetur & quasi proprium reddatur singulis: de modo tantum, quo id applicetur quaestio est & controversia. Sensus Ecclesiae Catholicae, quantum assequi potui, hic dabo. 1. Praeter alios modos, quibus applicari posset hoc beneficium, religionis nostrae author voluit, ut id fieret per aliquos ritus in sensus incurrentes a se electos & stabiliter institutos (z). 2. Hi ritus vocantur sacramenta, quorum Ecclesia Catholica septem credit. 3. His ritibus ita annexuit suam gratiam, ut si in nomine Christi applicentur, (a) eam conferentis nec improbitas, nec sinistra fides impedire possit. (b) 4. Requiri-

(x) Nam resurrectio mortuorum omnium futura mortem & eius effectus illis cum foenore reparabit, qui se, dum viverent, redemptione non indignos praestitere.

(y) Amplius quid a Deo nemo exigere potest, quod si igitur quibusdam prae aliis favor dando gratias efficaces & donum perseverantiae, quae ex mera liberalitate dantur, aliis injuriam non facit.

(z) Consistunt hi ritus in applicatione certarum rerum sensibilium, quae dicuntur materia, & in certis verbis consecratoriis, quae dicuntur forma. 2. Si res probe spectetur ad sacramentum N. L. tria requiruntur, α) ut sit signum sensibus obnoxium, β) ut habeat promissionem gratiae, γ) ut sit institutum a Christo.

(a) Ex hoc capite requiritur in ministro intentio, hos ritus ut sacros Christi nomine conferendi.

(b) Peccat utique, qui res sacras tam profanus atrectare audeat.



quiritur in recipiente adulto voluntas suscipiendi sacramenta & alia quaedam dispositio, sed ea nec meretur gratiam, nec causa illius est, sed tantum conditio, sine qua gratia sacramentalis non confertur. (c) 5. Aliqua ex his sacramentis hominem consecrant, & deputant ad certum munus & obligationem subeundam, quae consecratio & deputatio fit per characterem animae impressum. (d) 6. Character non impeditur improbitate recipientis, nec etiam deletur improbitate postea superveniente. 7. Alia ex his sacramentis instituta sunt ad gratiam non habitam acquirendam, alia ad habitam augendam & conservandam. 8. Ad priorem effectum institutus est baptismus & poenitentia; baptismus quidem ad acquirendam gratiam primam & remissionem peccatorum cum originalis, tum personalium ante baptismum perpetratorum: poenitentia vero ad recuperandam gratiam post baptismum deperditam, & remissionem peccatorum post illum commissorum. 9. Dispositio ad utrumque sacramentum ex Tridentino fere est eadem in adultis. (e) 10. Requiritur nempe in utroque vera fides tanquam fundamentum ceterorum omnium. 11. Accedit spes, amor divinus initialis (f) & dolor de peccatis cum voluntate vitam in melius commutandi. (g) 12. Praemissa

*Sacramenta
mortuorum.*


(c) His duabus propositionibus complexus sum id, quod Catholici volunt, dum sacramenta ex opere operato gratiam conferre dicunt.

(d) Haec sacramenta sunt tria nempe baptismus, confirmatio, & ordo. 2. Certum est, haec tria sacramenta valide conferri, etiamsi defectu dispositionis gratiam non conferant. 3. Ex communissima tamen Theologorum sententia conferunt gratiam postea, quando dispositio ponitur, quod volunt, dum dicunt, sacramenta haec reviviscere.

(e) In parvulis, quibus, licet a parentibus fidelibus prognati sint, baptismus etiam conferri debet, non datur neque etiam requiritur ulla dispositio.

(f) Mihi sufficit amor concupiscentiae.

(g) Haec dispositio peccatum non est, igitur non omnia, quae agit scelestus peccata sunt.



missa haec dispositio non operatur gratiam, nisi sequatur susceptio sacramenti. (h)

Baptismus. VII. Baptismus conferendus est in aqua naturali. 2. Ablutioni adjungenda est consueta forma expressis singulatim tribus Personis. 3. Haec duo si fiant, a quocunque demum fiant, valet baptismus. 4. Efficat baptismus plenam peccatorum remissionem etiam quoad poenam, (i) renovationem hominis interiorem per gratiam justificantem cum donis annexis, dein inchoat eum sacris Christianis, confert jus ad reliqua sacramenta &c. 5. Poenitentiae sacramentum praeter dispositionem supra dictam requirit jure divino confessionem omnium peccatorum gravium (k) quoad numerum & speciem, (l) quantum humana diligentia sciri possunt. 6. Hoc sacramentum non a quovis, sed ab eo solum confici (m) potest, qui speciali ordinatione a Deo facultatem accepit. 7. Talis minister exercet nomine Christi actum Jurisdictionis, & ideo utendum est verbis sententiam judicalem enuntiantibus. 8. Integritas hujus judicii reconciliatorii requirit praeterea, ut ad satisfactionem imponatur poenitenti aliqua poena delictis proportionata. 9. Effectus hujus sacramenti est reconciliatio cum Deo per restitutionem gratiae, & remissionem peccatorum quoad culpam & poenam saltem aliquam. 10. Pro reliquis poenis

Poenitentia.

(h) Nisi praecessisset actus charitatis perfectae cum dolore ex eadem charitate profecto & voto suscipiendi sacramentum: tum enim vero gratia statim donatur, relicta tamen obligatione suscipiendi sacramentum.

(i) Quem utique effectum nec virtus nec sacramentum poenitentiae semper operantur, sed relinquunt plerumque poenam pro peccatis remissis ad tempus sustinendam.

(k) Mea quidem sententia etiam dubiorum.

(l) Etiam quoad adjuncta, quae non mutant speciem, si malitiam multum augent.

(m) Neque sufficit sola ordinatio, sed requiritur praeterea Jurisdictio, & post Tridentinum etiam approbatio Episcopi, excipit illos, quos Tridentinum excipit.

nis expiandis reliquit Christus Ecclesiae potestatem ex thesauro meritorum ejus succurrendi iis, qui per opera poenalia eas expiare student; ex fragilitate tamen vel brevitate vitae expiare non omnes possunt. **II.** Quae non expiantur in hac vita, in alia materiem purgatorio subministrant.

VIII. Non sufficiebat Deo, ut homo per haec duo sacramenta sanctitatem acquireret, sed voluit praeterea, ut *Sacramenta vivorum* acquisitam ad finem usque vitae conservaret, & augetet; ideo instituit Christus alia quaedam sacramenta, quae rite suscepta ad hunc finem conducerent. **1.** Hoc omnia commune habent, quod pro dispositione postulent in recipiente statum gratiae & intentionem suscipiendi sacramentum. **2.** Quod augeant gratiam & sanctitatem jam antea habitam. **3.** Quod conferant homini jus ad certas gratias actuales suo tempore dandas a Deo. **4.** Inter haec dignitate & excellentia eminet Sacramentum Eucharistiae. **5.** Hoc Sacramentum nempe non tantum significat & confert ut cetera gratiam, sed ipsum corpus & sanguinem Jesu Christi, & quod consequens est, ipsum auctorem gratiae vere & reipsa praesentem sistit & continet. **6.** In nihilum quippe rediguntur panis & vinum, in quibus symbolis hoc mysterium consecrandum est; (*n*) & succedit in locum ipsorum corpus & sanguis Christi, quod omnipotentiae divinae opus Ecclesia Catholica recte transubstantiationem appellat. **7.** Verba, quibus consecratur panis, sunt haec: Hoc est corpus meum, vel his aequivalentia. **8.** Verba, quibus consecratur vinum sunt haec: Hic est calix sanguinis mei, vel hic est sanguis meus. (*o*) **9.** Ecclesia Catholica verba Christi proprie intelligens semper credidit Christum jam ante usum Sacramenti adesse. **10.** Ex hoc sequitur Catholicos bene


Eucharistia.

B 3

fa-

(*n*) Panis ex interpretatione Ecclesiae debet esse triticeus, & ex ejus praecepto pro Ecclesia Latina azymus.

(*o*) Sunt ex Catholicis qui praeter haec verba adhuc alia requirunt, quorum sententiae sicut non contradico, sic nec consentio. Illud sciunt sacerdotes, enuntiandam esse sub obligatione gravi formam integram in Missali praescriptam.



facere, quod Eucharistiam adorent, solenniter circumge-
 stent &c. 11. Minister hujus Sacramenti non est quivis
 Christianus, sed soli Sacerdotes ad id consecrati. 12. Ef-
 fectus hujus sacramenti est augere gratiam, & praebere
 quasi generale pharmacum adversus omnia, quae sanctitati
 adversantur. 13. Ad confirmandum Christianum in fide &
 retinenda & profitenda, quae utique res specialem difficul-
 tatem continet, instituit Christus sacramentum confirmatio-
 nis. 14. Hoc Sacramentum conferendum est per imposi-
 tionem manuum & unctionem Chrismatis ab Episcopo be-
 nedicti cum certa verborum formula. 15. Minister ordi-
 narius est solus Episcopus. 16. Ad armandum hominem
 adversus pericula peccandi in vicinia mortis satis frequen-
 tia, deinde ad reliquias peccatorum expellendas & ipsa
 peccata occulta remittenda institutum est a Christo Sacra-
 mentum extremae unctionis. 17. Conferendum est hoc
 Sacramentum per unctionem, quae fit oleo benedicto in
 sensibus humanis cum certa oratione. 18. Minister hujus
 Sacramenti est solus sacerdos. 19. Ad statum clericalem
 & illius munia rite obeunda, praecipue ad conficienda cer-
 ta Sacramenta habilitatur & roboratur Christianus per Sa-
 cramentum a Christo institutum, quod dicitur Ordo. 20.
 Ratio Sacramenti praecipue habetur in Episcopatu & Sa-
 cerdotio. (p) 21. Hujus Sacramenti capaces sunt soli ma-
 res Christiani. 22. Ritus praecipuus est impositio manuum
 cum certa formula verborum. (q) 23. Minister hujus Sa-
 cramenti est solus Episcopus, qui ratione ordinis jure di-
 vino praecedit sacerdotes. 24. Jus designandi personas,
 quibus hoc Sacramentum conferendum est, relictum est a
 Christo superioribus Ecclesiae. 25. Tandem etiam non
 praeteritus est status conjugalis, qui sicut frequentissimus
 inter Christianos, ita multis periculis & molestiis circum-
 septus singularibus auxiliis indiget. 26. Haec auxilia
 Christus conferre voluit non novum ritum instituendo, sed
 con-

(p) De Diaconatu tamen res etiam satis expedita est, de reliquis
 ordinibus videtur deesse ratio sufficiens id affirmandi.

(q) De aliis ritibus disputatur, utrum essentiales sint, nec ne;
 sensa mea interrogatus dabo.

contractui matrimoniali gratias suas annectendo. 27. Hac ratione iste contractus, qui antea profanus erat, loquendo de Christianis sacer & Sacramentum evasit. 28. Huic igitur Sacramento leges & solennitates soli illi scribere possunt, quibus jus sacrorum (r) competit. 29. Hoc Sacramentum omnes suscipere possunt, qui non sunt impediti, vel natura, vel jure divino, vel ecclesiastico. (s) 30. Jure divino matrimonium non potest esse nisi inter marem unum & foeminam unam. 31. Matrimonium, si ratum solummodo sit, dissolvi potest professione religiosa. (t) 32. Consummatum si sit, jure divino insolubile est. *

IX. Hi sunt modi praecipui, quibus gratia ex opere operato, ut dicimus, crescit & augetur. Potest tamen etiam ex opere operantis augeri per alia opera pia; sed de his nunc aget

C A P U T II.

DOGmata PRACTICA RELIGIONIS
REVELATAE.

I. Iesus Christus non tantum redemptor, sed etiam legislator fuit. 2. Legem Mosaicam abrogavit: 3. Retinuit tamen & denuo confirmavit legem naturae. 4. Statuit legem fidei, & obligationes, fidei & religioni annexas. 5. Ceremonialibus plurimis V. L. substituit in sua lege perpaucas ceremonias relicta superioribus Ecclesiae potestate plures pro rerum adjunctis statuendi. 6. Politicas


Leges in genere.

(r) Idem dicendum est de sponsalibus, quae sunt via ad hoc Sacramentum.

(s) Hoc Sacramentum non requirit mea sententia specialem ministrum, sed ipsi suscipientes sunt ministri.

(t) Probabilius etiam dispensatione Pontificia.

* De matrimoniis Protestantium in Germania & aliis regionibus ad septentrionem videtur satis jam expeditum esse, non impediri illa impedimento clandestinitatis; quod alia impedimenta ecclesiastica concernit, res adhuc anceps est; probabile tamen puto, quod non impediuntur.



cas leges nullas praescripsit, sed iussit in se credentes illius reipublicae leges fervare, in qua degerent. 7. Plura etiam tantum suggestit dando consilium, obligationem non imponendo. 8. Omnibus his obligationibus novum robur addidit, cum praeter gratiam ad implendas leges necessariam obedientibus denuo promisit felicitatem aeternam; inobedientibus autem poenam aeternam.

II. Lex quaelibet, ut obliget, promulgata sit oportet.

Lex naturae. (u) 2. Lex naturalis est ipsa lex aeterna Dei promulgata per lumen rationis. 3. Est necessaria & immutabilis. 4. Principium cognoscendi, utrum quid lege naturali praeceptum aut prohibitum sit, est ipsa recta constitutio hominis ad finem suum. 5. Licet prima praecepta legis naturalis ignorari invincibiliter non possint, possunt tamen ea ignorari etiam invincibiliter, quae non nisi longa argumentationum serie inde deducuntur: & haec ignorantia excusat a peccato. 6. Deus solus potestatem habet rebus a se conditis leges statuendi. 7. Concessit tamen hanc potestatem in primis iis, qui praesunt Ecclesiae, (x) deinde etiam iis, qui praesunt reipublicae. (y) 8. Ultima quasi applicatio omnium

Leges positivae.

(u) Per promulgationem legis existentia ita innotescere debet, ut moraliter vel quasi moraliter certum sit, legem existere. 2. Haec certitudo non habetur, dum probabiliter ab aliis asseritur, & ab aliis negatur existentia legis: hinc per se in hoc casu nondum est obligatio legis servandae. 3. Habetur autem quasi moralis certitudo, cum legis existentia multo probabilius asseritur quam negatur: hinc ex hoc casu exurgit illa obligatio.

(x) An hanc potestatem etiam immediate concefferit Episcopis, an vero per Pontificem concedat, anceps est quaestio: sacra Scriptura videtur stare pro prima sententia.

(y) Exercetur itaque nomine Dei potestas utraque, & ideo utraque praefixum habet eundem finem ultimum. 2. Ecclesiastica potestas eum finem intendit directe, politica vero indirecte. 3. Igitur neutra potestas valide exerceri potest contra hunc finem. 4. Potestas etiam profana ita exercenda est, ut non noceatur fini illi ultimo & praecipuo hominis; & ex hac Theoria regulae magis christianae ad dandum Caesari, quae sunt Caesaris, & Deo, quae sunt Dei, deduci possunt, quam a politicis quibusdam orbi obtrusae sunt.



omnium legum fit per conscientiam, cui sive vera sive falsa errore invincibili imperet, obtemperandum est.

III. Lex Evangelica prae ceteris praescribit tres virtutes ita dictas theologicas fidem, spem, charitatem. 2. Facultatem has virtutes exercendi accipit homo stabilem cum gratia sanctificante. 3. Omnes hae virtutes immediate tendunt in Deum; & ideo dicuntur virtutes theologicae. 4. Lex fidei est universalis & obligat omnes. 5. Obligat autem primo ad inquirendam veram religionem. 6. Secundo ad credenda omnia, quae revelata sunt. (z) 7. Tertio ad acquirendam notitiam singularum quarundam veritatum ad salutem obtinendam absolute vel saltem ex praecepto necessariorum. (a) 8. Quarto ad actus fidei saepius in vita eliciendos. 9. Ut autem rite eliciatur fides, admittenda est veritas revelata propter auctoritatem Dei loquentis, (b) in quam etiam resolvitur fides.

*Lex divina
fidei.*


IV. Speranda sunt Christiano ea omnia, quae Deus promittit; & hic actus saepius in vita frequentandus est. 2. Sperandus est inprimis ipse Deus aeternum per visionem & amorem possidendus, deinde omnia auxilia ad hunc finem necessaria. 3. Speranda sunt ideo, quia Deus se & sua dona nobis communicare & vult & potest, & fidem suam ad id obligavit. 4. Est discrimen inter ea, quae speramus: auxilia ad salutem absolute necessaria, sunt etiam absolute promissa, & ideo sine timore sperantur. 5. Sa-

Spei.

(z) Quodcumque nempe constat certitudine dubium omne prudens excludente, Deum haec illave revelasse, assensus fidei sine piaculo negari non potest: illa autem certitudo nemini deerit, qui in signa credibilitatis, ut loquuntur Theologi, maturo examine inquirere voluerit.

(a) Comprehenduntur hae veritates noto illo versiculo: *Facta, regit, Judex* &c. Quas utique omnes singillatim scire praxis postulat, licet theoria aliquas ex iis non ita necessarias esse probabiliter contendat.

(b) Illa auctoritas confurgit ex sapientia & veracitate divina.



5. Salus autem ipsa non est promissa nisi iis, qui per gratiam Christi filii Dei existentes auxiliis modo dictis utendo praecepta divina observant, & in hoc statu ad finem vitae perseverant; quibus de rebus nemini certo constat; & ideo spes salutis salutarem timorem non excludit. 6. Igitur etiam opera ea, quae ideo fiunt, ut salutem nostram certam faciamus, non vituperanda, sed summopere laudanda sunt.

Charitatis.

V. Compendium eorum, quae praestanda sunt, exhibet lex illa, quae Deum propter se super omnia diligere jubet, proximum autem etiam inimicum propter Deum. 2. Haec lex quoad substantiam in hac vita jam impleri potest, licet perfectio illius in altera vita tantum futura sit. 3. Obligat autem imprimis ad actus amoris in certis casibus & saepius per vitae cursum; 4. Deinde prohibet, nequid amori divino vel proximi contrarium fiat. 5. Non tamen praecipit, ut omnia opera ex imperio amoris divini ponantur. 6. Et ideo dantur etiam opera honesta ex aliis finibus honestis posita. 7. Imo dantur etiam opera meritoria, quae in statu gratiae ex alio fine supernaturali ponuntur.

Religionis.

VI. Hi sunt actus praecipui, quos Lex Evangelii requirit; praeter hos tamen & alii actus tum interni ad virtutem religionis spectantes praecipiantur. 1. Adorandus est Deus solus in spiritu & veritate. 2. Invocandus est solus per Jesum Christum tanquam is, a quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit; (c) 3. Per primum non prohibemur cultu inferiore colere eos, qui facti amici Dei ab ipso Deo in coelo & in terra honorantur; (d) 4. Per secundum pariter non prohibemur


(c) Extat utique praeceptum orandi, quod per longum tempus sine gravi piaculo negligi non potest.

(d) Non extat etiam ulla prohibitio, quae cultum congruum certis rebus ad sanctos olim spectantibus, aut venerationem imaginibus propter exemplaria exhibere interdicat.



mur rogare eosdem amicos Dei cum Deo existentes, ut precibus nostris preces suas apud Deum jungant. 5. Neque haec invocatio, experientia etiam teste, magnis commodis caret. 6. Praecipit lex Evangelica etiam actus externos religionis. 7. Inter hos actus praecipuus est sacrificium, cum religione tam arcto foedere connexum, ut nullo modo vera, vix autem falsa religio produci possit, quae sacrificio proprio caruerit, ut adeo vel jure naturae vel praecepto divino primis parentibus dato, & sic in omne hominum genus propagato mandatum esse videatur. 8. Tale sacrificium instituit Christus in ultima coena, & Ecclesia Catholica celebrat in illo actu externo religionis, qui dicitur Missa. 9. Illud sacrificium non offerunt sacerdotes nomine suo vel populi, sed Christus & victima & sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech illud offert per sacerdotes ministros pro salute Ecclesiae. (e) 10. Inter actus religionis externos referendum est jusjurandum, quod per solum Deum necessitate exigente licite fieri potest, & eo rite facto Deus etiam colitur. 11. Denique huc referenda sunt vota solennia praeprimis, quibus se quis obstringit ad certa servitia Deo magis grata exhibenda. 12. Materiam praecipuam votis suppeditant consilia ita dicta Evangelica, quae suadent vel certos actus virtutum non praeceptos, Deo tamen oppido gratos, vel certa adminicula iis proficua, qui Deum perfectiore modo colere volunt. 13. Praecipua inter haec sunt abdicatio divitiarum & opum, repudium voluptatum corporis, & abnegatio voluntatis propriae per arctiorem subjectionem legitimo cuidam superiori factam. 14. Haec consilia possunt impleri vel ad tempus vel in perpetuum, cum voto & sine voto. 15. Optimo modo implentur, si in perpetuum obligatione voti interposita implenda Deo voventur, & devota implentur. 16. Quibus adjunctis, qua nempe aetate, a quibus

(e) Tenentur Ecclesiae filii etiam jure divino assistere quandoque huic sacrificio, & ideo Ecclesia bene praecepit, ut id diebus dominicis & festis fieret.



bus personis, quo rigore &c. haec vota fieri possint, ut grata sint Deo, & consequenter valida, (f) utique penes solam Ecclesiam arbitrium est. 17. Hujus etiam solius est in votis dispensare, id est, cum auctoritate declarare & decidere, in quibus adjunctis observatio voti Deo non amplius vel saltem minus grata futura sit, & eo casu voto ligatum absolvere.

Leges Ecclesiasticae in genere.

VII. Leges ceremoniales particulares perpaucas Christus statuit, quae praecipue spectant Sacramentorum usum in conferente, tum in recipiente. 2. In genere renovata est lex illa naturae, sancta sancte tractanda esse. 3. Quibus autem ritibus quodlibet Sacramentum & officium cultus divini, ut sancte & decenter fiat, tractandum sit, determinare potuit & determinavit Ecclesia. 4. Frustra hactenus in ceremoniis Ecclesiae quaesitum fuit superstitiosum quid aut inutile, sed cunctae ab Ecclesia statutae cultum divinum vel docent, vel suadent, vel ornant. 5. Neque sine grandi piaculo hae ceremoniae negliguntur aut contemnantur.

In specie.

VIII. Praeter has leges ceremoniales in genere, in particulari quasdam tum morales tum ceremoniales leges ecclesiasticas defendendas suscipio ac, 1. quidem illa constitutio, qua Laici usu calicis interduntur, adeo non est vituperanda, ut potius summe rationabilis & temporum conditioni perquam accommoda dicenda sit. 2. Etiam illa constitutio, qua Clerici a matrimoniis abstinere jubentur & reipublicae proficua est, & ministros & vicarios Christi magnopere decet, & ideo nulli jure displicere potest. 3. Abstinencia a certo ciborum genere olim jam in usu & praecepta fuit, & hac tempestate ad refraenandum luxum & luxuriam perquam utilis & necessaria est. 4. Jejunium Christianis quasi continuum cum esse oporteret, quid absurdum, si Ecclesia stans temporibus illud affixit? tum ut conformi-

(f) Cum ea, quae cultum divinum spectant, soli Ecclesiae commissa sint, miror aliquos principibus tantum potestatis in vota tribuere, ut adeo irritationem votorum a subditis factorum concedant.

formitas inter sectatores suos esset, tum ut concordi corporum afflictione coelum facilius placetur. 5. Cum Scripturae S. utilitas non in legendo, sed in intelligendo consistat, jure aequissimo Ecclesia iis sacrae Scripturae lectionem interdixit, quos nuda litera praesertim ex versionibus vernaculis aliunde suspectis hausta occidebat; hodie cum periculum commune cessasse videatur, ista lex non adeo urgetur ab Ecclesia.

IX. Lex Evangelica non tantum obligationes sacras suis cultoribus imposuit, sed etiam profanas & civiles commendavit, cum Deo, quae sunt Dei, & Caesari, quae sunt Caesaris, dare praecepit. *Leges civiles in genere.* Obligationes igitur, quae a cive Christiano ad salutem & tranquillitatem reipublicae conservandam requiruntur, Theologo ignorare non licet. In genere tenentur cives Christiani ex lege Evangelica obedire superioribus reipublicae, in qua sunt, in conscientia. 2. Tenentur solvere tributa, vectigalia &c. (g) 3. Tenentur illaesa relinquere jura ita dicta majestatica. 4. Necessitate ita postulante tenentur bona & vitam ipsam pro bono publico exponere. 5. Tenentur sua secundum leges & consuetudines reipublicae & acquirere & alienare.

X. Quantum ad jura in specie, de controversis hic tantum specimen dabo, relictis iis, quae de dominio, modis acquirendi, contractibus &c. omnium sententia certa habentur. 1. Venator non acquirit sibi feras, sed Domino, cui servit. *In specie.* 2. Etiam reliqui feripetae tenentur religione conscientiae refarcire damna illi, cui jus venandi competit, illata. *Modi acquirendi naturales.* 3. Post adhibitam diligentiam moralem in inquirendo Domino, nec tamen eo comparente, probabilius non tenetur inventor rem inventam expendere in causas pias. 4. Ad omnem praescriptionem tam inchoandam quam continuandam requiritur fides theologice bo- *Civiles.*

C 3

na

(g) Huc revocanda est controversia de immunitate Ecclesiastica, in qua via media incedens existimo, illam tam personalem, quam realem non quidem secundum totam suam extensionem, sed tamen quoad substantiam ex jure divino sive naturali sive positivo descendere.



na, excludens omne dubium practicum. 5. Salva hac sententia potest debitor intra triginta annos debitum indefinite contractum etiam pro foro conscientiae extinguere, si intra hoc tempus neque jus neque creditor solutionem exigant. 6. Ad praescriptionem ordinariam requiritur saltem titulus coloratus, sufficit tamen quandoque etiam existimatus. 7. Praestations annuae tam praeteritae quam futurae simul & semel unica nempe praescriptione triginta vel quadraginta annorum extinguuntur. 9. Testamentum minus solenne non privilegiatum pro utroque foro nullum est. 10. Filiusfamilias de peculio adventitio extraordinario nequidem consentiente patre testari potest. 11. Filius haeres a patre institutus haereditatem repudiare nequit retenta legitima. 12. Per substitutionem pupillarem tacitam mater a successione liberorum non excluditur.

Contractus. XI. Contractus initus ex metu gravi contra jus incusso nullus est etiam jure naturae. 2. Juramentum non firmat contractum etiam jure humano duntaxat invalidum. 3. Usura omni jure prohibita est. (h) 4. Exigendi aliquid ultra sortem titulum praebere potest lucrum cessans, damnum emergens, periculum sortis, & statutum principis. 5. Licita est emtio census tam realis quam personalis, etiam utrinque redimibilis. 6. Neque aequa speculatio damnabit contractum ita dictum trinum, licet praxis periculo non careat. 7. Possessor b. f. non tenetur restituere fructus, nisi natura extantes. 8. Clerici probabilius non sunt Domini reddituum superfluum. 9. Religiosus post emissam professionem transiens ad Protestantes non fit sui juris, adeoque quidquid acquirit, monasterio acquirit. 10. Non potest repetere ea jura, quibus per professionem renuntiavit.

Restitutio quando facienda. II. Obligatio naturalis gravis reparandi damnum grave, necessario supponit culpam theologiam gravem. 12. Leges noxales cum ex praesumptione duntaxat culpae theologicae

(h) Ex antecedente illo: *Retinet mutuans dominium generis, si tamen verum est, nil sequitur, nisi quod possit exigere usuras generis five in genere, nullas vero in specie.*

gicæ ad reparationem damni obligent, non ligant conscientiam, nisi post sententiam iudicis.


APPENDICES.

EXERCITATIO HISTORICA.

I. **S.** Petrus Episcopatum Romanum suscepit, & suscep- *Pontifices.*
tum ad mortem usque non dimisit. 2. S. Victor non
rupit pacem cum Asiaticis, nec S. Stephanus cum Cy-
priano & sociis. 3. Idem Stephanus non approbavit omne
haereticorum baptisma. 4. Illa controversia Stephanum
inter & Cyprianum a Cypriano & sociis probabilius habe-
batur pro disciplinari. 5. Lapsus Marcellini inter fabu-
las locum meretur. 6. Probabile est Liberium nunquam
lapsum fuisse: sicui tamen formulae Sirmiensi subscripsit,
subscripsit primæ. 7. Honorius non fuit Monotheleta, nec
adeo certum est, eum socordiae damnandum esse. 8. Zosi-
mus errores Celestii & Pelagii non approbavit, nec etiam
nimium indulgens fuit erga homines catholica sensa præ-
se ferentes.

II. PP. Ariminenses non errarunt in fide, multo *Concilia.*
minus Ecclesia integra in illo concilio errasse dici potest.
2. Canonice damnatus est Nestorius in Concilio generali
tertio. 3. Decreta Sess. quart. & quint. Concilii Constan-
tensis intelligenda sunt de Pontifice dubio. 4. Non sunt
approbata a Martino V; neque etiam postea ab Eugenio
IV. cum decreta Concilii Basileensis selecta a Germanis ra-
ta habuit. 5. Concilium Trident. in nullo aberravit a re-
gulis veterum Conciliorum, igitur eandem auctoritatem
habeat oportet.

III. Canones ita dicti apostolici non habent auctores *Patres & Scriptores.*
iplos Apostolos. 2. Opera S. Dionysii adscribi solita,
probabilius non sunt Dionysii, licet sint auctoris valde an-
tiqui & eruditi, & ideo nihilominus magnæ auctoritatis.
3. Septem epistolæ Ignatii prout a Vossio graece & ab
Usserio latine in lucem prodire, genuinae sunt. 4. Te-
stimonium Josephi de divinitate Christi authenticum est.
5. Pro-



5. Probabilius est Eusebium Caesareensem etiam post Concilium Nicaenum fuisse Arianæ hæresi addictum. 6. S. Cyrillus impugnans Nestorium non est lapsus in hæresin Apollinaris, neque etiam praelusit Eutychianis. 7. S. Thomas nullibi docuit prædeterminationem phylicam esse aut principium necessarium ad exercitium liberum voluntatis, aut esse gratiam efficacem ad actus supernaturales eliciendos necessariam. 8. Joannes XXII. nunquam tenuit pro certa sententiam asserentem animas defunctorum ante extremum iudicium non videre Deum intuitive, licet dubius hæserit aliquamdiu.

*Dogmata &
hæreses.*

IV. Symbolum Apostolorum ab ipsis Apostolis conditum est. 2. Athanasianum ita dictum probabilius non est Athanasii. 3. Nectarius non potuit abrogare, neque etiam abrogavit confessionem privatam, sed tantum consuetudinem peccata occulte commissa, publice confitendi, & poenitentiarium hunc in finem constitutum. 4. Controversia de confessione tempore Gratiani non erat in eo, utrum præcepto divino peccata per confessionem exponenda essent; sed in eo, utrum per contritionem perfectam jam ante perceptionem sacramenti peccata remitterentur, remanente tamen obligatione confitendi, an vero tantum in perceptione sacramenti. 5. Seculo quinto exstitit hæresis Prædestinatiana in Lucido presbytero, & seculo nono resuscitata fuit a Gotteschalco monacho. 6. Pelagius & Celestius nunquam admiserunt gratiam internam voluntatis. 7. Bulla *Unigenitus* est Bulla dogmatica, & non tantum lex disciplinae.

EXERCITATIO

EX SCRIPTURA, ET LINGUIS ORIENTALIBUS.

*Scriptura
& fontes in
genere.*

Libri scripturae sacrae antiqui testamenti inter multiplices reipublicæ Hebraeae ruinas nunquam ex integro periere. 2. Fons Hebraicus, sicuti & fons Graecus novi testamenti nullo adhuc errore contra fidem aut bonos

bonos mores infectus est; neque est ratio sufficiens, suspicionem corruptionis impingendi Judaeorum Rabbini, utpote qui nec potuere, nec etiam voluere hoc scelus in se admittere. 3. Puncta vocalia Hebraeorum recentius addita sunt textui a Masoretis circa finem seculi V. 4. Narratio Aristaeae de septuaginta interpretibus non est quoad praecipua capita commentitia, licet forte quoad aliqua adjuncta vacillet. 5. Ex Genesis Cap. I. fonte etiam in subsidium vocato, non evincitur Trinitas Personarum in Divinis, licet pluralitas satis certo evincatur. 6. Ex Genes. XVII. v. 14. non potest confici, circumcisionem, multo minus autem reliqua veteris legis sacramenta contulisse gratiam ex opere operato. 7. Frustra Judaei celeberrimum Jacobi vaticinium Genes. XLIX. v. 10. 11. &c. de adventu Messiae, ruinae regni Judaici affixo, ex fonte Hebraico elidere conantur. 8. Melchisedech Gen. XIV. obtulit verum sacrificium in pane & vino; neque veritas fontis huic sententiae adversatur. 9. Septuaginta hebdomadarum, de quibus Daniel Cap. IX. initium sumendum est ab edicto Cyri. 10. Difficultates, quae ex chronologia profana obmoveri possunt, optime dissolvit dissertatio chronologica de septuaginta septem hebdomadibus ex genuina versione septuagintavirali Danielis ex tetra-*In specie.* plis Origenis Romae nuper edita assumtis, cui ex fonte Hebraico aliis punctis lecto plurimum subsidii accedit. 11. Malachias Cap. I. v. 10. praedixit sacrificium novi testamenti proprie dictum: Characteres ibi praedicti in nullo aliud quadrant, nisi in sacrificium Missae. 12. Certum est ex scriptura praesertim novi testamenti fuisse olim veros energumenos; neque ulla difficultas est, cur hodie dari non possint, aut hinc inde non dentur. 13. Contradictio apprens inter genealogiam Christi a S. Matthaeo, & illam a S. Luca descriptam optime complanatur dicendo, S. Lucam recensuisse genealogiam Christi maternam per avum ejus S. Joachimum. 14. Versiculus 1. Joann. Cap. V. v. 7. de tribus in coelo testibus authenticus est.

O. A. M. D. G.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

O. A. M. D. G.



© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
	R	G	B					W	G	K				C	Y	M			

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	
Centimetres	TIFFEN® Color Control Patches																	Inches	
	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black										
	© The Tiffen Company, 2007																		

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	Light White	Light 3/Color	Light Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	Dark White	Dark 3/Color	Dark Black